CORN. TACITI

SENTENTIAE

DE

NATURA, INDOLE AC REGIMINE

DEORUM.

PARS ALTERA.

Scripsit

A. J. KAHLERT

Phil. Dr. Artt. Libb. Mr. In Gymnas. Reg. Cath. Leobsit. Supp. Ordd. Pr.

Acad. Litt. S. Car. Borrom. Lucern. sod. extraord.

NEOSTADII SIL. SUP. 1847.

Typis Caroli Grossii.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

C. TACITI SENTENTIÆ DE REGIMINE DEORUM.

Adhuc sub judice lis esse videtur, quam potissimum philosophorum sectam Tacitus secutus fuerit, utrum Epicureorum, quod Lipsius nonnunquam suspicatus est, an Stoicorum, quorum praecepta non modo cognovit,[1]) sed quorum se simillimum exhibuit et quae eos viros, quos inprimis diligebat et maximi faciebat, velut Thraseam, Helvidium, Senecam, alios secutos esse sine ulla vituperii nota saepius commemorat; sunt denique alii, qui eum neutri sectae, neque Stoicae neque Epicureae adstipulatum, neutrius præcepta tam strenue et accurate observasse et in explicandis rebus quum humanis tum divinis adhibuisse dicant, ut ne latum quidem unguem ab iis recedere ausus fuerit.[2]) Maximi autem momenti esse, quam res humanas explicandi interpretandique regulam ac normam, i. e. quam philosophiam amplexus sit scriptor, cujus sententias de divino in res humanas regimine anquirimus, nemo est qui diffi-

---

1) Confer. Histor. IV, c. 5. De Helvidio Prisco est sermo, quem eos doctores sapientiae secutum esse dicit: „qui sola bona, quae honesta, mala tantum, quae turpia: potentiam, nobilitatem caeteraque extra animum neque bonis neque malis adnumerant." Ecce doctrina Stoicorum! Digna etiam sunt verba praecedentia, quae notentur, in quibus caussam et finem studiorum hujus viri indicat: „Non ut plerique, ut nomine magnifico segne otium velaret, sed quo firmior adversus fortuita Rempublicam capesseret." Ubique vituperat simulationem. Quot homines illo tempore literarum studium praetexerunt et obtenderunt, ut molestiam ac pericula militiae effugerent, ut publica munera, in quibus administrandis facile invidiam Principis excitarent, evitaret possent, ergo ut nomine honorifico cupiditatem luxoriose vivendi, quam Tacitus otium segne vocat, occultarent!

2) Cfr. Dr. Hoffmeister *Die Weltanschauung des Tacitus.* Essen 1831. 8. p. 14. „*Wir behaupten, dass sich Tacitus in seinen Ansichten und Beurtheilungen weder durch stoische noch epikureische Grundsätze bestimmen liess. Er betrachtete die Geschichte frei von vorgefassten Lehrsätzen irgend einer philosophischen Schule, und bildete seine Ueberzeugungen im Leben und durch die Betrachtung der geschichtlichen Thatsachen.*"

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

teatur. Antea vero, quam hanc disceptationem non tam penitus componere — quis enim tanto virorum etiam doctissimorum dissensu omne punctum se laturum esse speret? — quam ad eam dirimendam vel certe clarius perspiciendam aliquid conferre moliamur, ejus sententias, de divino in res humanas regimine tractantes, ita recensebimus, ut eos locos, ubi istud regimen agnoscere, deinceps illos, in quibus id aut addubitare aut palam negare videtur, digeramus digestosque inter se conferamus. Id tantum adnotasse haud pigebit, quum omnem philosophiam, tum Stoicorum disciplinam apud Romanos longe aliam quandam speciem ac formam prae se ferre quam in Graecia. [1])

Universa philosophia, quam Romani profitebantur, redolet peregrinam originem. Nam Romanos Graecorum tantum vestigia pressisse, plerosque ut ipsum Ciceronem, inter Romanos haud dubie summum philosophum, neque purum Stoicum neque Academicum fuisse, inter omnes, Latinarum literarum peritos satis constat. Numquid igitur mirum est, Tacitum si idem fecisse videmus? Nonne magis mirandum esset, si eum ab hac communi regula, totum populum Romanum amplectente, recedere

---

1) Prorsus adstipulor viro doctissimo in „*Hall. allgem. Lit. Z.* 1832. p. 577. qui scribit: „*Es kann nicht unbekannt sein, dass der damalige Stoicismus ohne sonderliche Spekulation ein Gemisch von Philosophemen versuchte, worin Skepsis, Atheismus und verzweifelnde Resignation um die Herrschaft ringen, Tugend und Geist allein für beharrlich gelten und in einem wenig practischen Kampfe mit dem Schicksale der Selbstmord als geheiligter Ausweg aus der irdischen Nichtigkeit erscheint. Tacitus gewährt neben Seneca und Plinius Belege zu solchen Ansichten.* Haec omnia verissima esse mox videbimus. Quae autem idem vir doctus ex supremis Annal. II. 88. verbis derivavit, iis non inesse existimo. Ibi sermo est de Arminio, qui adhuc apud Barbaras gentes canitur: „Graecorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur: Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus, recentium incuriosi." Vituperat ergo et Graecos, quos nimio sui ipsorum amori deditos aliosque populos contemnentes describit, et Romanos, qui sint laudatores temporis acti. Censor autem opusculi Hoffmeisteriani, supra laudati, haec inde colligit: „*Tacitus begriff den widerstrebenden Character eines Chaos von grausenhaften Zeiten, worin weder seine eigene Gegenwart nach fürchterlicher Abspannung sich gefalle* (recentium incuriosi, Annal. II. extr.), *noch ihm selbst ein Unterschied zwischen Vorsehung und Zufall einleuchtete.*" Istud „recentium curiosi" latius patere arbitror: antiquarum tantum rerum sunt studiosi, vel simile quid vituperium continent haec verba. Caeterum nostris quoque diebus esse et singulos homines et totos populos, in quos hoc vituperium cadat, qui vel sua tantum mirentur vel vetera tantum extollant, facile est cognitu et probatu. Franco-Galli sua tantum mirantur; et vituperium, quod Tacitus in Romanos hoc loco effudit, hodie quoque in Germanos convenire multi dixerunt, quibus non habeo, quod opponam.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

conspiceremus? Sed nolumus disquisitionem antevenire; audiamus Tacitum ipsum atque recenseamus

Sententias, in quibus divinum regimen agnovisse videtur.

Locus, qui aperte Diis rerum humanarum curam atque regimen adscribit, neque ullam dubitationem relinquit, quin a Diis ipsis illud auxilium profectum sit, legitur Histor. IV, c. 78. Bellum atrox in Germania, duce potissimum Civili, cui sese Tutor et Classicus adjunxerant, ortum erat; conspiraverant Galli, Batavi, Germani, qui contra Romanos pugnant, jamjam nutantes et terga dare parantes, — „Donec legio XXI. sustinuit irruentes, mox impulit. *Nec sine ope divina* mutatis repente animis terga victores vertere." Illa subita et rerum et hominum immutatio nullo alio pacto declarari potest, quam si statuas, Deos ipsos Romanis auxilio venisse, vel Deos hostibus terrorem injecisse eorumque animos ita infregisse, ut, qui superiores e proelio evasuri viderentur, salutem fuga quaererent.

Licet non tam aperte, tamen quodammodo regimen divinum agnoscitur Agricol. c. 15. Accendebant se invicem Britanni, quum injurias a Romanis acceptas conferrent et rerum statum cum suis viribus compararent: „Jam Britannorum etiam Deos misereri." Si quis vero alicujus miseretur, ei succurrit, vel certe ejus rationem habet curamque ejus suscipit. Et cap. 32 (in eodem libello de Agricolae vita) ex oratione Calgaci: „Paucos numero ... (scil. Romanos) ... clausos quodammodo et vinctos *Dii* nobis *tradiderunt*." Quamvis in verbis, quae nunc transcripturus sum, neutiquam Tacito adsentiamus, quod securitatem et salutem humanam a Diis curari negat et poenas tantum ab iis excogitari et exerceri autumat, apparet tamen ex iis, eum divinum regimen agnovisse. Histor. I. 3. Continuatur ibi introductio et proœmium in Historiarum libros, ubi carptim argumenta sequentium capitum refert; ea esse impleta scelerum ac flagitiorum nuntiis, vitiosissimum quemque fortunis cumulatum, optimum in exilium actum, mortis damnatum, sed non prorsus virtutum sterilem fuisse aetatem „Praeter multiplices," pergit Tacitus, „rerum humanarum casus, coelo terraque prodigia et fulminum monitus et futurorum praesagia laeta, tristia, ambigua, manifesta. Nec enim unquam atrocioribus Populi Romani cladibus, magisve justis indiciis adprobatum est, *non esse curae Deis securitatem nostram*, esse *ultionem*." [1])

---

1) Merentur Lipsii verba, quibus Tacitum refutare aut certe improbare studet, ut afferantur, qui p.307 (in sua Taciti operum ed. Antverpiae 1627. fol.) „Impium, impium," ait, „tuum dictum, Tacite:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Tot tantasque calamitates in Romanos irruisse dicit Tacitus, ut vix alia cogitatio mentem subire potuerit, nisi punire tantum Deos, proborum vero omnino nullam ab iis rationem haberi, non cordi esse Diis, utrum securi sint adversus naturae mala; negligere numina, eos servare et tegere, qui praecepta divina non migraverint; denique illi casus et prodigia et fulmina et clades iram tantum, neque vero amorem Deorum in bonos ostenderunt. Cohaeret haec sententia arctissime cum omnibus iis locis, in quibus de ira Deorum mentionem fecerat scriptor. Qui enim iratus est, nihil aliud curat, quam iram effutire atque ultionem sumere. Ita ἀνθρωπομορφιστικῶς et cogitasse et locutus esse videtur Tacitus.

Minoris momenti sunt verba Histor. I. 29. „Ignarus interim Galba et sacris intentus, fatigabat [1]) *alieni jam imperii Deos.*" Dii se et ab eo et ab imperio Rom. jam averterant et sacrificiis, quibus continuatis atque auctis eorum gratiam ac favorem et captare et sibi reconciliare volebat, invitos ac nolentes retrahere frustra conabatur; quare dicit „fatigabat." Non jam ut antea, Galbam fovebant Dii, sed eum deseruerant. Tacitum hic de Diis ut nos de hominibus loqui nemo mirabitur, quum omnes antiquos et Graecos et Romanos ita locutos esse constet. Supra quidem, quum de ira Deorum disputarem [2]), attigi verba, quae Annal. IV. 28. leguntur; sed quum ibi promiserim, me ad ea esse reversurum, et quum ob rem, quam tractant, et ob simplicitatem et gravitatem memoratu sint dignissima, diutius in iis immorabor.

Facinus ibi narratur, compar famoso Neronis matricidio. Vibius Serenus, — id erat nomen isti nequam — patrem ab exilio retractum apud senatum majestatis accusavit; filius eleganter vestitus, subridens, hilari vultu; pater senex curvatus, vinculis ligatus, squalidus. „At contra," pergit Tacitus, „reus nihil infracto animo obversus in filium, quatere vincula, vocare *ultores Deos* etc." Haud scio, an ullus alius

---

etsi non imprudens. Nam humano ingenio si rem libras, quum tot clades, tot tristia, tam rara in bonos praemia: quid nisi advigilare Deos tantum censeas in poenas? Atqui nos scimus aliter: nec rem metimur ex iis modo, quae sunt, sed quae futura. Qui vindicem tantum Deum statuit, tollit ex Deo, quod est Dei, imo quod est Deus: vim beneficam, salutarem et adjuvantem. Itaque homo sile: et tectum . . . etc. Cfr. Herderus (*Werk zur Philosophie u. Gesch. Bd.* 6. *p.* 276 *et* 277).

1) Contulisse haud pigebit Senecae ep. 31 (opp. ed. Gronov. P. II. p. 87) „Et in totum, jam per maxima acto viro turpe est, etiamnum deos fatigare."

2) In priore particula hujus disputationis, quae 1844 publici juris facta est, p. 14 seqq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

inveniatur locus, qui et rei atrocitate et verborum elegantia huic capiti possit comparari. Ita miro quasi quodam fortunae beneficio effectum est, ut tempora pessima et vitiis fere obruta praeclarissimo et omnibus numeris absoluto scriptore gauderent. Quid enim deterius temporibus Neronis, et quis praestantior, sapientior Tacito? Fortasse ex hoc discrimine mirus ille sensus quodammodo declarari potest, quem nemo, Tacitum legens, non percipit. In hoc loco patrem certe Deorum regimen agnovisse liquet; nam si negasset, non vocasset ultores Deos, non speravisset, Deos criminum ultores, filium pessimum poenis quam acerbissimis affecturos esse.

Sed accedo ad locum, ex narratione criminis, quod quidem terra tulit, foedissimi ac deterrimi, depromptum. Jam dudum animo volvebat Nero, matrem occidere, sed incertus haerebat, quanam potissimum ratione id feri posset; tandem Anicetus, quo paedagogo usus fuerat, ingenium obtulit, qui consilium Agrippinae interficiendae Annal. XIV. 3. ita aperit: „Navem posse componi, cujus pars, ipso in mari per artem soluta effunderet ignaram; nihil tam capax fortuitorum, quam mare, et, si naufragio intercepta sit, quem adeo iniquum, ut sceleri adsignet, quod venti et fluctus deliquerint? Additurum Principem defunctae templum et aras et cetera ostentandae pietati." Quod consilium Neroni non solum probatur, sed etiam ad exitum perducitur. Notanda sunt et memoriae prodenda extrema capitis verba „Prosequitur (Nero) abeuntem (matrem convivium relinquentem, et mox navem fallacem adscensuram), artius oculis et pectori haerens, sive explenda simulatione, seu periturae matris supremus adspectus, quamvis ferum animum retinebat." — „Noctem," pergit Tacitus cap. 5. „sideribus inlustrem et placido mari quietam, *quasi convincendum ad scelus Dii* praebuere." In hac noctis serenitate, quam Dii commiserant, inerat secundum Taciti judicium, cui lubens adstipulor, divini regiminis signum, ut palam fieret omnibus flagitium Neronis, ne obscura nocte fama oriri posset, casu vel procella navim esse ruptam vel scopulo allisam, sed ut nemo dubitare posset, Neronem ipsum hoc scelus jussisse. Licet vocula *quasi* divinitus concessam esse noctem serenam aliquantulum infringat, prorsus tamen divinum regimen, quod in tota sententia affirmatur, infringere omnino nequit. Mihi videntur (hic sensus est vocabuli „quasi,") Dii ad convincendum scelus serenam, nubibus non obductam, neque obscuram noctem praebuisse, ac si (quasi) convincere voluissent Dii Neronem ut hujus sceleris auctorem. [1])

---

1) Valde miror, Hoffmeisterum p. 112 negare in his verbis inesse signum et documentum, animum Taciti religioni deditum fuisse, et eum vituperare Süvern, qui hoc affirmasset in libro suo: „*Ueber*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Neque minus apertum pro divino regimine testimonium exhibent verba, quae Annal. XVI. 13. exstant. „Tot facinoribus foedum annum (erat p. Chr. n. sexagesimus sextus, urbis conditae 819) *etiam Dii* tempestatibus et morbis insignivere." Facinora homines patrabant et annum quasi foedabant; huic calamitati accedebant (ad puniendos sceleratos) tempestates et morbi, extra potestatem hominum aeque atque extra voluntatem eorum siti; certe de tempestatibus hoc dici potest, quum homines ultro in morbos irruere eosque sibi contrahere posse constet. Animadvertendum est, non plebis, non imperitorum, non stultorum hominum opinionem, non rumorem ex rebus exteris pendentem hic nobiscum communicare Tacitum, sed suam ipsius sententiam: harum tempestatum, horum morborum auctores erant Dii.

Tiberio imperatore anno XXIV. p. Chr. n. periculum magnum erat, ne bellum servile in Italia oriretur; jam trepidabat Urbs ipsa, nam T. Curtisius quidam apud Brundisium servos, agros colentes ad se convocabat, Annal. IV. 27: „quum *velut munere Deum* tres biremes adpulere ad usus commeantium illo mari." Initio quidem ejusdem capitis hunc belli finem casui adscripserat his verbis: „mota per Italiam servilis belli semina *fors* oppressit;" ista fors vero in eo erat posita, ut subito et exinopinato tres biremes advenirent. Itaque verba rem duplici modo explicantis, neutiquam vero inconstantis esse judico.

Magis conspicua et regimen divinum prodentia leguntur verba in literis, quas Vologeses, Parthorum rex, ad Romanos dedit Annal. XV. c. 24: „Se priora et totiens jactata, super obtinenda Armenia, nunc omittere, quoniam *Dii, quamvis potentium populorum arbitri*, possessionem Parthis, non sine ignominia Romana, tradidissent." Se abstinere tandem velle profitetur coeptis, quod expertus sit, Deos, qui etiam potentissimorum populorum res curent, nunc Romanis possessionem Armeniae detraxisse. A parte potentium populorum stant Dii; ergo regunt et gubernant eos. Omissis nonnullis aliis locis, ex quibus species quaedam divini regiminis derivanda esset, [1]) eos jam perlustraturus sum, quibus esse Deorum regimen vel in dubium vocatur, vel plane negatur.

---

den Kunstcharacter des Tacitus," in quem librum me frustra inquisivisse lugeo. Hoffmeisterus ne unum quidem argumentum protulit, quod eum impedierit, quo minus Süvern assentiretur.

1) Exempli gratia Histor. V. 24: Quae Cerialis ad milites dicit: „Si quid ultra moliantur, inde injuriam et culpam, *hinc ultionem et Deos fore*." Et Annal. XV. 35, ubi Boadicea loquitur: „Adesse tamen Deos justae vindictae."

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sententiae divinum regimen aut addubitantes aut negantes.

Principem locum obtinent verba Annal. XIV. c. 12, ubi narrationi de caede Agrippinae finem imponit. „Prodigia quoque crebra et inrita intercessere; anguem enixa mulier etc. . . .; quae adeo *sine cura Deum* eveniebant, ut multos post annos Nero imperium et scelera continuaverit." Quamvis ob scelera immanissima non solum imperio, sed etiam vita indignum sese praestiterit Nero, ut, qui non solum infimam vitae conditionem obtineret, in imperii summo potius fastigio collocatus incolumisque maneret: omnia tamen ejus conata perfecta, omnia vota impleta sunt. Secundum Taciti exspectationem videbantur haec prodigia portendere, mox Neronem exstinctum ejusque sceleribus finem impositum iri, sed frustra; prodigia nihil praedixerunt, neque quidquam ea secutum est; non curarunt Dii, ut ratum fieret id, quod per illa miracula et prodigia praesagivisse videbantur. [1])

Annal. III, 18. Sermo est de Pisone, qui morte sibi illata damnationem antevenerat; tum ad senatum Messalinus refert, gratias agendas esse ob vindictam Germanici (a Pisone enim eum veneno interfectum esse constabat) et Tiberio et Augustae et Antoniae et Agrippinae et Druso, „omiseratque Claudii mentionem. Et Messalinum quidem L. Asprenas, Senatu coram, percunctatus est, an prudens praeteriisset? ac tum demum nomen Claudii adscriptum est. Mihi, quanto plura recentium seu veterum revolvo, *tanto magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis obversantur;* quippe fama, spe, veneratione potius omnes destinabantur imperio, quam quem futurum Principem fortuna in occulto tenebat." Ergo Deorum curae ac regiminis ne vestigium quidem in rebus humanis; quo altius in eas cogitando penetro, quo accuratius eas perspicio, quo saepius eas perlustro, eo magis mihi persuadeo, res casu sese excipere, ordinem non esse certum, sed fortunam quasi illudere conatibus nostris aeque atque infans pupulis suis. Ille obscurus et in tenebris latens Claudius, qui omnibus despicatui erat, quem Messalinus ne nominare quidem vole-

---

1) Ita haec verba Ernestius interpretatus est: „Apparuit, in his portentis nil divini fuisse, non portendere iis Deos perniciem Neronis voluisse, ut iis creditum est, quae ante mortem Claudii evenere." Lipsius autem num recte viderit, qui ad h. l. annotat: „*Ἐπικουρίζει* hic et alibi Noster," valde dubito, quum neminem ab Epicureorum quum sententiis tum vita alieniorem esse putem, quam severum Tacitum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

bat, quum totam imperatoris familiam nominatim recensebat, praeter omnem exspectationem postea imperium est nactus; et ex hoc uno exemplo concludit, ludibria esse[1]) miras et inopinatas rerum vicissitudines. Deos ergo res humanas curare negat hic Tacitus.

Huc pertinet Annal. III, 55. ubi sermo est de remissione luxus quum omnis tum mensae, cujus rei, Tacito quidem acceptae sed inopinatae caussas anquirit et varias conjectando adfert. Ditissimos prius ob nimium luxum, quo gratiam populi sibi conciliare studuerant, ad paupertatem esse redactos; tum a Principibus in nobilissimum quemque maxime saevitum, ergo senatorum numerum valde imminutum, ad quem restituendum multos homines novos e municipiis adscitos esse, qui parsimoniam solitam etiam Romae retinuerint. „Sed praecipuus," pergit Tacitus, „adstricti moris auctor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu victuque; obsequium inde in Principem et aemulandi amor validior, quam poena ex legibus et metus. *Nisi forte rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur:* nec omnia apud posteros meliora: sed nostra quoque aetas multa laudis et artium imitanda posteris tulit."[2]) Dicere vult Tacitus, bonos mores plus valere

---

1) Ita haec verba interpretatur Ruperti in Commentario suo in C. Taciti Annales, Gotting. 1804. 8. p. 201, qui locos similes ex Livio 30, 30. Juvenal. 3, 40. 6, 608 adfert.

2) Haud abs re fore arbitror, verba Strombeckii, quae ad h. l. annotavit, adferre (Bd. I. p. 267): „*Durchlaufen wir mit vergleichendem Auge die Geschichte: dann erblicken wir allerdings, gleichwie in der physischen Welt zu gewissen Zeiten herrschend gewisse Krankheiten, so in der moralischen auch eigene Tugenden und Laster einheimisch in gewissen Zeiträumen: wie der Ort, so behauptet auch die Zeit ihr Recht. Von jeher hatte eine andere Denkweise im Morgenlande, eine andere im Abendlande Statt.*" (Memini nunc verborum, quae Ritterus, vir clarissimus, in vol. I. Geographiae Africae profert: p. 10. „Asiaticos populos solem orientem, nos Europaeos occidentem spectare, faciem igitur aversam habere, haec et quae sequuntur ibi in praef. acutissima et verissima judicio);" *so herrschen auch andere Vorstellungen in dem einen als in dem andern Jahrhundert. — Doch auch in diesem Wechsel ist Festigkeit; und das Geschlecht bleibt, im Ganzen seiner Eigenschaften, dasselbe. Welche Ursache veranlasst jenen Kreislauf moralischer Erscheinungen? Ist sie in der Beschaffenheit der menschlichen Natur zu suchen, die sie in der Zeiten Fortlaufe entwickelt? Liegt sie in äussern Umständen, sowie diese die Veranlassung der wiederkehrenden Körperkrankheiten zu sein scheinen? Finden sich diese äussern Umstände zunächst auf unserer Erde, oder sind sie die Folge der Einwirkung der Gestirne, ihres wechselseitigen Verhältnisses und des zur Erde?* (Postrema quaestio mihi certe inepta videtur. Quis enim stellis vim quandam in hominum mores adtribuet?) Apposite Stenzelius *in Geschichte Preussens* 1. *Bd.* p. 134. „*Es scheint ein Kreislauf in allen Entwickelungen der*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

bonis legibus; homines ita esse comparatos, ut quum alios, tum qui iis praesint, imitentur, quare multis ex causis principes et nobili loco nati puram vitam degant necesse sit. Sed omnes naturales caussae non sufficiebant ei ad declarandam hanc morum in melius mutationem; conjicit, fortasse hominum mores in orbe quasi aliquo sese vertere, ut boni malos et mali bonos sequantur. De Deo, hanc vicissitudinem et correctionem efficiente, non cogitavit hic scriptor; ergo hic neque negat neque contendit, divinum esse regimen, sed omittit. Cogitationem, quae nobis solatio est, quotidie genus humanum, si totum respicias, melius fieri, quamvis singuli quum populi tum homines regrediantur, in literis et moribus deficiant, tamen progressum fieri, neque Tacitus, neque Plato neque quisquam alius scriptor, Christiana doctrina nondum imbutus, cognitam habuit.

Prae ceteris memorabilis est locus Annal. XVI, 33. „Idem tamen dies et honestum exemplum tulit Cassii Asclepiodoti, qui, magnitudine opum praecipuus inter Bithynos, quo obsequio florentem Soranum celebraverat, labentem non deseruit: exutusque omnibus fortunis et in exilium actus — *aequitate Deum erga bona malaque documenta.*" [1]) Nondum composita videtur lis interpretum de hujus loci sensu; primo obtutu idem significare videtur, quod aliis locis saepe effatus est Tacitus, non esse curae Deis humanum genus, non respici securitatem nostram; nisus experientia, qua pessimos quosque diu vivere, fortunis cumulatos et impune ad senectutem fere extremam pervenire viderat; optimum contra quemque egenum, morbis occumbentem, fame pereuntem, innoxium ad tribunalia tractum et flagitiorum, quae ne cogitaverat quidem, reum, vel ob virtutes, quibus calumniatores speciem vitiorum subjiciebant, mortis damnatum, — quae omnia opinionem Taciti de Deorum justitia et compensatione labefactaverant, et in tali animi conditione ex acerbata et irata mente pro-

---

Geschichte des Menschen zu sein; allein es sind Schlangenwindungen, welche dem entfernten Auge in einander zu laufen scheinen, während sie sich wirklich von ihrem Anfangspunkte entfernen. Nicht grade hin auf der kürzesten Linie bewegt sich der Mensch zum Ziele, sondern wie Massen, welche durch mehrfache Kräfte ungleichmässig nach verschiedenen Richtungen getrieben werden, durch eine gewundene Linie. Daher die Langsamkeit in der Gesammtentwickelung, welche oft Jahrhunderte hindurch still zu stehen oder sich nur unmerklich fortzubewegen scheint, und dennoch fortschreitet."

1) Improbo verba Hoffmeisteri, de hoc loco p. 100 ita disserentis: „*Ein solcher Ausspruch möchte nicht aus dem blossen Unmuthe des Schriftstellers zu erklären sein.*" Quidni? quum constet, omnes affectus, praesertim autem iram, omnium fere validissimum, esse etiam saepe auctores cogitationum?

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

fluxisse videntur verba: aequitate Deum erga bona malaque exempla. Ironice dicit injustitiam aequitatem. Justi scilicet Dei! optimum in exilium agi concedunt, quia amico fidelis et praesto fuit. Quem sensum etiam Rykius et Gronovius in his verbis inesse contenderunt. Bipontini autem, Millerus, Freinshemius, quibus accedere videtur Ruperti, ita interpretati sunt, ut aequitas sit ea, quae patiatur et concedat, ut mala exempla, facinora, scelera, tot tantisque virtutibus compensentur; non modo vitiorum, ut nonnunquam apparet, sed etiam virtutum documenta edi curant Dii — sensus esset; quot igitur mala, tot etiam bona sunt exempla, curantibus Diis. Cui posteriori interpretationi etiam adstipulantur recentiores Taciti editores. [1]) Mihi superior illa interpretatio ex ipsis Taciti verbis sequi, haec illata videtur ad Tacitum quasi defendendum. Etiam mendacii vel lapsus memoriae convincendus esset Tacitus, si dixisset, tot virtutes, quot vitia suo tempore viguisse, quum ex quavis operum Taciti pagina contrarium eluceat, multo plura vitia patrata fuisse, quam virtutum documenta.

Arctissime conjuncta est cum sententiis de divino regimine Taciti doctrina de fato, quam nunc sum exhibiturus.

Quid de fato senserit Tacitus.

Primo in disceptationem cadit locus Germ. c. 33: Precatur Deos, ut hostes inter se discordes reddant; ita enim optime et facillime imperium ab interitu jam appropinquante arceri posse; pro illa autem sententia, imperium Romanum jam nutare et labefactum videri, habet „*urgentibus* Imperii *fatis*." Ex multis indiciis concludere posse arbitratur scriptor, finem fortasse non procul abesse; fata urgere imperium, imminere jam ejus exitum. Imminuit hanc fati vim et praedestinandi facultatem verbis, quae Histor. I, 10. leguntur: „Occulta lege *fati* et ostentis ac responsis destinatum Vespasiano liberisque ejus Imperium *post fortunam* credidimus." Increduli haec verba sunt: quum evenisset id, quod fato instare dicebatur, tum ei fidem praestiti-

---

1) Velut clariss. Waltherus, qui ad h. l. sic scribit: Aequitas non est, *Gleichgültigkeit*, incuria, socordia, uti interpretantur (ex. c. Strombeck, qui vertit: „*Solche Gleichgültigkeit der Götter und Menschen gegen gute und böse Handlungen*"); imo spectat id verbum ad ἰσομοιρίαν bonorum et malorum, quae obtinet in rebus terrestribus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mus. Neque improbat Galbam prodigia contemnentem Histor. I. c. 18, qui Pisone adoptato hunc nuntium militibus relaturus in castra sese confert; imbres, tonitrua, fulgura, aliae coelestes minae, quae antiquos a quovis publico munere suscipiendo absterrebant, non impediverunt, quo minus in castra pergeret: „contemptor talium, ut fortuitorum; seu, quae fato manent, quamvis significata, non vitantur." Memoratur quidem fatum Hist. I, 29. sed nihil inde erui posse puto; praestat vox *fataliter*, I, 50. memorata. Instabat bellum civile inter Othonem et Vitellium; neuter erat homo frugi: „Duos, omnium mortalium impudicitia, ignavia, luxuria deterrimos, velut ad perdendum Imperium *fataliter* electos" etc. Maximam partem fato calamitates adscribuntur, et omnino animadvertisse puto, sicut Deos saepius iratos significaverat Tacitus, ita etiam fato luctuosos potissimum rerum eventus adsignat. [1]) Sed pergamus in rescensendis de fato sententiis.

Etiam Hist. II, 69. Cohortes Batavorum in Germaniam esse remissas retulerat, et subnectit: „principium interno simul externoque bello *parantibus fatis.*" Calamitatis maximae, interni et externi simul belli, auctores erant fata.

Eadem significatio est in verbis Hist. I, 71. „Mansitque Celso, velut *fataliter*, etiam pro Othone fides integra et infelix."

Hist. II, 82. „Sufficere videbantur adversus Vitellium pars copiarum et Dux Mucianus et Vespasiani nomen, *ac nihil arduum fatis*—" quae jam antea Vespasiano favere significaverat.

Histor. IV, 26. *fatum* et *ira Dei* conjunguntur, ut similitudo seu necessitudo, quae inter utrumque verbum intercedat, clarius perspiciatur; fere pro synonymis haec verba habuit. Annal. I, 65: Arminius milites inrumpere jubet, clamitans: „En Varus, et *eodem iterum fato* victae legiones." Eadem clades Romanos exspectat, quae Varum ejusque legiones attrivit, quod certe cupiebat Arminius. Prorsus eadem sententia de eodem Varo legitur Ann. I, c. 55. „Varus fato et vi Arminii cecidit."

Princeps vero locus, qui doctrinam de regimine non Diis, sed casui attribuendo continet, ubi duas easque contrarias et Stoicorum et Epicureorum sententias conjungit, neque addit, utri ipse adsentiat, est Annal. VI, 22. Sermo in praecedentibus

---

1) Cfr. M. A. Mureti Comment. in III. orat. Cic. Catilin. in ejus opp. ed. David. Ruhnken. Lugduni Bat. 1789. Tom. II. p. 638 seq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

capitibus est de Chaldaeorum arte, [1]) quam etiam Tiberius a Thrasyllo quodam didicerat; postquam hujus artis exempla nonnulla retulit, ita c. 22. pergit. „Sed mihi, haec ac talia audienti, in incerto judicium est, fatone res mortalium et necessitate immutabili, an forte volvantur: quippe sapientissimos veterum, quique sectam eorum aemulantur, diversos reperies; ac multis insitam opinionem, non initia nostri, non finem, non denique homines Diis curae; ideo creberrime et tristia in bonos et laeta apud deteriores esse. Contra alii, fatum quidem congruere rebus putant, sed non e vagis stellis, verum apud principia et nexus naturalium caussarum: ac tamen electionem vitae nobis relinquunt; quam ubi elegeris, certum imminentium ordinem; neque mala vel bona, quae vulgus putet: [2]) multos, qui conflictari adversis videantur, beatos, ac plerosque, quamquam magnas per opes, miserrimos, si illi gravem fortunam constanter tolerent, hi prospera inconsulte utantur. Ceterum plurimis mortalium non eximitur, quin primo cujusque ortu ventura destinentur; sed quaedam secus, quam dicta sint, cadere, fallaciis ignara dicentium; ita corrumpi fidem artis, cujus clara documenta et antiqua aetas et nostra tulerit." Ex hoc loco nihil aliud patet, quam Tacitum, utriusque sectae philosophicae, quum Epicureae tum Stoicae disciplinam cognitam habuisse et incertum fuisse, utram veram esse putaret; non apparet, utram praetulerit. Simul ex omnibus, quos aut jam protuli aut mox sum allaturus, locis despero, fore, ut aliud quid secuturum sit. Res divinas quod attinet, de earum cum humanis nexu, de regimine divino, quam late patuerit, ubi coeperit desceritve, de fati vi atque inevitabili potentia, de casus effectibus — de quo mox pauca sum disserturus — incertus haesisse videtur Tacitus; ipse enim dicit initio hujus loci, se nescire, utris adsentiat, qui fato, i.e. immutabili et non evitabili necessitate res humanas volvi, an qui e casu fortuito eas pendere dicant. De Diis ne vestigium quidem; non in mentem ei venit, posse et cogitari et esse tertium quendam praeter fatum et casum rerum humanarum arbitrum; haud dubie mirum videtur hoc de Deo silentium. Sed fortasse ita declarari potest, ut statuamus, eum de iis

---

1) Quam superstitiosum Imperatorum aevum fuerit, jam ex illis locis, qui de Chaldaeis, de mathematicis, de magis agunt, conjici licet. Cfr. Ann. III, 22. quaesitum per Chaldaeos in domum Caesaris. Ann. XVI, 14. II, 32. Hist. II, 62. Ann. XII, 52. „Furius in exilium agitur, quasi finem Principis per Chaldaeos scrutaretur." Hist. I, 22. mathematici - genus hominum, potentibus infidum, sperantibus fallax, *quod in civitate nostra et vetabitur semper et retinebitur.*" Acerbissimum Taciti odium in hos fraudulentos homines apparet; quis ei vitio vertet, etiam eos, qui iis uterentur, contemnenti?

2) Cfr. L. Annaei Senecae epist. ad Lucilium ep. 45. (Opera ed. Schott Lugd. Bat, 1649. p. 112 seq.)

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tantum rebus loqui velle, quae sibi prorsus contrariae esse videbantur, et de quibus philosophi ipsi, quorum placita recenset, in scholis quam saepissime disputare solebant. Neque in loco Annal. IV, 20. de Deorum regimine mentio fit; excogitavit quidem tertiam rerum humanarum caussam; dicit ibi praeter fatum et casum ex hominis arbitrio multum pendere; Deum vero etiam aliquid valere, ex ejus nutu omnia pendere, secundum ejus voluntatem omnia fieri, — ne somniatus quidem fuisse videtur. Sed praestat, Tacitum ipsum loquentem inducere. „Hunc ego Lepidum," inquit, „temporibus illis gravem et sapientem virum fuisse comperio. Nam pleraque ab saevis adulationibus aliorum in melius flexit: neque tamen temperamenti egebat, quum aequabili auctoritate et gratia apud Tiberium viguerit. Unde dubitare cogor, *fato et sorte nascendi, ut cetera*, ita Principum inclinatio in hos, offensio in illos: an sit aliquid in nostris consiliis, liceatque, inter abruptam contumaciam et deforme obsequium pergere iter, ambitione ac periculis vacuum." Locus maxime memorabilis! Deliberat neque vero certi quidquam invenit, sed dubius haeret, utrum dicat, etiam Principum sive amorem sive odium fato esse quasi praedestinatum, *ut caetera*. Caetera ergo extra inclinationem et offensionem, — amorem et odium Principum, ergo fere omnia, fato sunt subjecta, secundum immutabilem quandam necessitatem reguntur et invicem sese excipiunt; illa tantum ex Lepidi moderatione Tacito dubitatio oritur, num etiam ex humano arbitrio aliquid pendeat, num in nostra potestate sit, res pejores in meliores flectere, iram Principum evitare et simul virtutem et defendere et exercere; num fieri possit, ut quis officiis suis satisfaciat, innocentibus auxilietur, virtutem amet et colat, modeste tamen, ne tyranni, ut Tiberii animum offendat. Exemplum nuper dedisse, ait Tacitus, Lepidum; nunquam sibi inconstans, bene facta ubique laudans, adulationibus πικρότητα eximens, neque vero odium Tiberii, quod hanc gerendi rationem sequi debere credebatur, sibi adscivit, sed mediam quasi viam ingressus et secutus est. [1])

Quum jam saepius in doctrina de fato casus mentio sit facta, alios quosdam locos congerere animus est, quo clarius perspiciatur, quam late casum patere docuerit,

---

1) Omitto ceteros de fato tractantes locos, ut ad rem nihil prorsus facientes: Ann. VI, 46. „Consilium fato permisit (Tiberius)." Et Annal. XIV, 47. „Si quid fato pateretur (Nero)." Dignior est, qui transscribatur, locus Ann. XV, 61. Sermo ibi est de Senecae morte, a Nerone jussa; quum Praefectus moneret, ut tribunus jussa exsequeretur: „fatali omnium ignavia" iratus et exacerbatus adjicit Tacitus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quamquam despero, de re tam lubrica quidquam certi definiri posse, ubi Tacitus ipse nil certi secutus esse videtur. Neque quisquam est, qui in usu vocabulorum casus, fors, fortuna, res fortuita et quae sunt ejusmodi, ita sibi constet, ut unam eandemque rem aut semper aut nunquam casui adscribat.

Histor. I, 4. Ante quam praefamen finiat et ad opus ipsum accingatur, rerum externarum conspectum exhibet: „Ut non modo casus eventusque rerum, qui *plerumque fortuiti sunt*, sed ratio etiam caussaeque noscantur." [1]) De Hist. IV, 26. jam sermo fuit. Lunae defectionem, quam miles, rationis ignarus, (Ann. I, 28.) pro omine habuit, ab eo forti et casui adscribi, nemo mirabitur. Neque quisquam ei vitio vertet, quod in descriptione belli civilis haec habet Ann. I, 49.: „Clamor, vulnera, sanguis palam: caussa in occulto: *caetera fors regit.*" Ann. IV, 27. dicit „bellum civile fors oppressit" — nam exinopinato advenisse biremes etc.; quod postea munere Deum factum esse scribit, initio ejusdem capitis casum appellat; argumento ergo est hic locus ut septingenti alii, Tacitum multas res duplici modo explicasse.

Ex locis *de Fortuna* agentibus nihil, quod quidem in meum commodum cadat, erui potest; inde omnino nihil apparet, utrum divinum regimen agnoverit, an negaverit; ex gr. Hist. I, 52. I, 56. „occupari nutantem Fortunam etc. II, 7. Nec referre, Vitellium an Othonem superstitem Fortuna faceret." Item II, 46. „Fortes et strenuos etiam contra fortunam insistere spei." 47. „Experti invicem sumus, ego ac fortuna." H. III, 17. et cap. 82.

Jam vero quomodo illi loci, in quibus omnia quasi in manu fati posita esse dixit Tacitus, conciliari possunt cum iis, ubi Deorum curae seu regimini res humanas subjectas esse professus erat? Nonne tam contrariae inter se sunt sententiae, ut altera alteram tollat? Minime gentium. Praeter illud fatum, cui et homines et Dii subjecti et obedire coacti sunt, late patet Deorum in res humanas et vis et imperium, sed inter terminos quosdam, a Numine nescio quo, praescriptos, sese contineant necesse est; vel extra Deos, quos ipsos altiori cuidam legi occultae et inevi-

---

1) Lipsius suspicabatur „qui plerumque *haud* fortuiti sunt." Ita scribit p. 307 (in sua Taciti ed. Antwerp. 1627. fol.) „Ulcus hic, nisi fallor, etsi tectum. Si enim casus eventusque rerum fortuiti, quomodo remittis me ad caussas? aut cur ubique tam multus, tam serius in iis explicandis? Censeo immissa negatione scribendum „„qui plerumque *haud* fortuiti sunt."" Ad rem et ad verum certe, si non Taciti mentem." Sed supervacanea est conjectura. Bene defendit hujus loci sinceritatem et sensum Strombeck., ad h. l. (p. 6).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tabili morem gerentes inducit, haec ipsa Necessitas etiam humanarum rerum ultimus quasi est arbiter, contra quem omnino nihil fieri potest. Fatum ergo est summus rector, qui latet et ad quem quum omnium rerum exitum, tum calamitates insignes tanquam ad ultimum fontem, unde manaverint, referuntur, a cujus tribunali non licet alium quendam velut majorem judicem appellare et coram quo vel Diis ipsis est standum. Neutiquam ergo ex mentione, quam Tacitus de fato haud raro facit, intelligitur, eum Deorum auctoritati multum detraxisse; utrumque et fati necessitas et Deorum regimen inter se conjungi possunt, sensu videlicet Romano, non Christiano.[1]) Praeterea non negligendum est, quam incerta atque inconstantia fuerint Veterum de Deorum natura et vi, quam in res humanas exerceant, judicia,[2]) quum nil certi haberent, ubi pedem figerent, cui innisi vel fulsi res externas explicarent. Unusquisque veterum scriptorum caussam, qua rem aliquam et obscuram et inopinatam exponere commodissime posset, sibi finxit, qua consuetudine seu necessitate etiam usus est Tacitus. Ob quam inconstantiam non solum Tacitus, sed omnes Antiqui sunt sive culpandi sive deplorandi; in eadem enim doctrina inest vitae securitas, lenocinium, pretium.

Equidem certe neminem, neque Graecum neque Romanum cognosco scriptorem, qui eandem de fato, de Deorum in res humanas imperio ubique docuerit et expresserit doctrinam. Quodsi Tacito soli ob hanc inconstantiam irasci velis, haud scio an injustus et iniquus in eum esse convincaris; non enim ei soli hujus erroris moles incumbit, sed in eo inest quasi morbus totius non tantum aevi sui, sed antiquitatis. Ergo immunis ac vituperio exemptus apparet Tacitus.

Neque nescio neque inficior, hoc argumento in defendendo Tacito nondum omne punctum me tulisse, quum culpa ideo, quod plures ejus sunt participes, non desinat

---

1) Nos enim, longe meliora edocti, etiam longe aliam de hac re difficili et sublimi profitemur doctrinam: non existere fatum, nullam esse necessitatem, nullum casum fortuitum etiam pueri nostri licet non sciant, tamen credunt.

2) Cfr. *Wieland's Uebersetz. der Briefe des Horaz* (ad ep. lib. II, ep. 2.) vol. II, p. 170. „*Wie die Religion der Griechen und Römer überhaupt an keinem festen Lehrbegriff gebunden, sondern ihrem Glauben Alles unbestimmt, schwankend und willkürlich war, so war auch über diesen Artikel* (de geniis ibi sermo est) *nichts festgesetzt, und wer Lust hatte, glaubte entweder zwei Genien, einen weissen und guten, dem er alles Glückliche, und einen bösen schwarzen, dem er alles Widerwärtige, was ihm begegnete, zuschrieb.*"

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

esse culpa; fraus sive unus sive septingenti eam commiserunt, est manetque fraus. Sed sicut in solatiis non ultimo loco ponitur mentio aliorum, qui idem quod ille, quem consolamur, aut majus aliquid malum aequo animo perpessi sunt, atque ex hac comparatione calamitas ipsa quidem, cujus vim infringere conamur, eadem manet, opinio autem de ejus molestia ac difficultate in animo ejus, quem deprimit, ita imminuitur, ut mens denuo sese erigat et spiritum hilarem ac liberum ducat: ita etiam in judicando scriptore aliquo aliorum,[1]) qui una cum eo vixerunt, ratio est habenda, et ea argumenta, sententiae, conclusiones, quas licet nosmet ipsi non concedamus, tamen cum aequalibus suis eum communes habere invenimus, non scriptori, sed aetati, sed populo toti imputandae videntur.[2]) Rem praeterea, de qua hic sermo est,

---

1) Inprimis apud Tacitum respiciendus est L. An. Seneca philosophus, cujus sententiae in Tacito nonnunquam fere ad verbum expressae leguntur, ita quidem, ut similitudo, quae inter utrumque virum intercedat, negari non possit. Et quamvis neutiquam cum Schlossero (*Universalhistorische Uebersicht der Geschichte der alten Welt. 3. Theil, I. Abtheil. p.* 412.) Senecam fuisse Taciti praeceptorem dicam, cum Hoffmeistero tamen etiam non consentio, omnem affinitatem animi, ut ita dicam, Taciti et Senecae negante. Utrumque virum Eclecticum, quem vocant fuisse, mihi quidem persuasum est. Ea autem, quae a Quinctiliani tempore usque ad Schlosserum contra Senecam jacta sunt, vituperia refellere, quamvis sit facili negotio peragendum, hoc loco omittendum esse censeo. Ex Tacito certe atque ex propriis Senecae scriptis quum omnibus tum epistolis apparet animus elatus, purus, pectus calidum, amor virtutis, odium sceleris. Neque aliter de eo Tacitus judicat. Cfr. Annal. XII, 8. XIII, 2. 3. 5. 6. 11. 14. 20. 21. 42. cui loco potissimum adversarii Senecae nituntur. XIV, 2. 7. 11. 14. 52. 53 – 55. XV, 45. 56. Caedes ejus 60—64. 65. 67. 71. 73. XVI, 17.

2) Ille vir doctus, qui Hoffmeisteri librum recensuit (*Hallische Allgem. Literatur-Zeitung* l. l.), ei imprimis vitio vertit, quod in aestimando atque judicando Tacito rationem non habuerit aliorum neque Graecorum neque Latinorum scriptorum, cui judicio tantum abest ut me opponam, ut addendum arbitrer, me aegre tulisse, quod opiniones et sententias, in Tacito passim animadversas, soli Tacito adscribat, neque curet, utrum idem de omnibus antiquis scriptoribus dicendum sit: sed quum longum et a proposito meo sit alienum, omnia in medium proferre, in quibus Hoffm. falsum esse existimen, unum tantum notabo, ubi me ab eo mirum quantum dissentire ingenue profiteor. Est autem hic locus Hoff. p. 88. seqq. ubi docet, Tacito finem bonorum virtutem seu honestum, inter externa vero gloriam seu famam primum locum obtinuisse: „*Der Ruhm, die Ehre, der gute Name ist gleichsam die äussere Erscheinung des Sittlichen, so wie die Schande und Unehre des Lasters. Man sieht es schon an der Sprache deutlich, dass die sittliche Lebensbeurtheilung des Römers von diesem äussern guten und schlechten Ruf ausging, da alle Wörter, welche das sittlich Ehrbare und Schändliche bezeichnen, die äussere Ehre und Schande mit umfassen. Und wir können nicht umhin, dieser römi-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

per se lubricam atque ancipitem, adeo oculis nostris esse subtractam, ut quam late pateat, ubi humanae vires desinant et divinum auxilium incipiat, certo exprimi non queat, nemo non videt; non esse lineam quasi quandam, quae humana a divinis sejungat, sed innumeris locis ita invicem esse has res implicitas, ut divelli nequeant, in aprico est. Nihil nisi ut conjecturas faciamus nobis restat: alius plura, alius pauciora, nemo nulla ad Deum ut extremam caussam refert. Apud Veteres non exstabat neque norma quaedam neque praeceptum, divinitus hominibus datum, sed traditionem vagam, a poetis potissimum inventam et varie immutatam, cui philosophi sua figmenta annectebant, antiqui scriptores fere ad libitum sequebantur. Si hodie quoque in tanta rerum et divinarum et humanarum luce, nubibus caligineque ex oculis, quoad ejus fieri potest, fugatis, variae de Dei regimine sententiae aluntur et palam fiunt: numquid mirum est, Veteres inter se discrepasse? Nonne magis mirandum esset, si consensissent?

Quum constet, neminem mortalium per totam vitam ita sibi parem esse, ut, si quidem diutius vixerit, idem semper de eadem re professus sit, quoniam dies diem docet: sedulo animadverti, num in libro, quem ultimum scripsit Tacitus, i. e. Annalibus aliqua sentiendi et judicandi de Deorum regimine immutatio notari, utrum ex certis quibusdam testimoniis concludi posset, eum, quo magis aetate provectus sit,

---

schen Ansicht unsern vollen Beifall zu schenken. Denn kein äusseres Gut ist mit der Tugend so verwandt, sie so fördernd, als der Ruhm, so dass sogar das Urtheil über die innere sittliche Ehre des Menschen, welches unabhängig vom fremden Urtheil gefällt wird, von der Ehre ausgeht, deren wir von Andern gewürdigt werden, und dass das Bewusstsein, in uns ehrenwerth zu sein, unverträglich ist mit der allgemeinen Meinung Anderer, dass wir ehrlos seien." Quid? quum sententiae hominum sint partitae? quid sequendum est, quum nihil inconstantius sit et magis titubet aura populari? „*Weswegen*," pergit Hoffm. „*denn der für ehrlos gehaltene sehr leicht (?) auch bald wirklich ehrlos wird. Und es wäre uns Neuern sehr zu wünschen, dass wir, den Alten folgend, bei dem Streben, uns Gottes Beifall zu erwerben, uns mehr, als es häufig geschieht, um den Beifall der Mitwelt bekümmerten und bemühten, und unserm Streben der Nachruhm wieder ein grosser, befeuernder Gedanke würde.*" Melius et sapientius Cicero de finibus bonorum etc., cfr. ejus opera ed. Orelli vol. IV. T. I. (Turici 1828. 8.) lib. II. c. 15. p. 116. „Quid turpius, quam sapientis vitam ex insipientium sermone pendere?" Et Seneca in epistolis ad Lucilium (ep. 52. p. 132): „Quid turpius philosophia captante clamores?" Et ep. 76. p. 225: „In illis nihil invenies veri, nihil certi, quaecunque famae placent."

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

eo magis ad ea praecepta rediisse, quae haud dubie puer imbiberit, i. e. pia, reverentiae plena, an re inversa quo magis in senectute processerit, eo magis a Deorum regimine sese averterit, et in ἀθεότητος suspicionem inciderit.

Utrumque passim fieri constat, atque alterutum me esspectasse haud negaverim, sed exspectatio mea me prorsus fefellit, non invenisse puto argumenta, quibus illam immutationem, vix evitabilem, certo demonstrem; facilius est, eam suspicari ex analogia, quam ex certis quibusdam locis ita fulcire, ut nullum dubium suboriri possit.—Vix Tacitum comparari posse existimo cum Platone, cujus et sentiendi et cogitandi immutatio neminem fugit. Res, quam uterque tractabat, et finis, quem sectabatur, longe est alius. Plato et philosophus quisque id spectat, ut quam de Diis et ceteris rebus, quae in disceptationem cadant, animo conceperit cogitationem demonstret, et ex sententiis antecedentibus eruat; colloquio vel disputatione procedente res, de qua sermo erat, quasi sub manu se mutaret necesse erat, ab omnibus partibus circumveniebatur, nova argumenta inveniebantur, et quum ad finem ventum esset, vel quum res multis annis post denuo perlustraretur, longe alia prodiit.—Aliter historiarum scriptor: ejus non est, suam sententiam ex certis quibusdam praemissis enucleare et systema quoddam condere, sed res gestas memoriae prodere, rerum externarum ordinem et seriem exhibere, in caussas earum (id quo Tacito nemo melius hucusque potuit) inquirere, et ultimas origines et fila, quae in animo hominum et principum vel nonnunquam et infimorum conveniant, ostendere. Atqui ponamus, comprehendi Tacitum utpote de una eademque re variis temporibus etiam varie judicantem (nam nil novi sub sole — omnia tantum repetuntur), innumera cogitari et multa efferi possunt argumenta, quae Tacitum adduxerint, ut aliud de eadem re, quam prius, judicium ferret. Dificilius est, historiarum scriptorem quam philosphum judicare.

At ne Tacito aliquid laudis detraxisse videar, praestat in calce totius dissertationis in ea, quae ante dixi, respicere et denuo virtutes, quibus praestantissimis est praeditus, carptim commemorare. Ubique idem amor virtutis, quam proprium hominis bonum existimat, (Hist. IV, 17.), libertatis idem desiderium. Confer quae de Nervae et Trajani imperio exclamat Hist. I, 1. „Rara temporum felicitate, ubi sentire, quae velis, et quae sentias, dicere licet." Vitia odit, at necessaria esse non negat. Hist. IV, 43. „Vitia erunt, donec homines." Mortuis non tam lacrimas, quam memoriam convenire putat" (Agric. ad fin. Germ. c. 27. Annal. II, 71). Et quam acute de hominibus judicaverit, quam alte intimos animorum recessus perspexerit,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

jam ex illis locis apparet, quos adhuc congessi — siquidem singulis locis et argumento id eget, quod in aprico est, neque quisquam unquam negavit. — Hist. I, 39. „utque evenit in consiliis infellcibus etc. 55. II, 30. IV, 37. Annal. II, 17. XV, 36. — Quam vera sunt, quae Hist. II, 93. IV, 42. et aliis locis leguntur! Plebem non corruptissimam civitatis partem fuisse, sed in ea et sanam mentem et bonam voluntatem et rectum judicium et probitatem majorem, quam in senatoribus plurimis et imperatoribus ipsis, servorum discipulis, ex multis locis apparet. Ac re vera ita semper fuit. In medio, ut ita dicam, populo, in iis hominibus, qui ab ultimis aeque atque a primis distant, experientia et Aristotele docente plurima virtus infuit; plebs tantum seu vulgus et nobile et ignobile, servilis senatus, humilis servus vel libertus, igitur faex et spuma erat ne flocci quidem pendenda. Cfr. Ann. I, 46. III, 11. IV, 64. 68. At quando mihi finis foret, si omnes, quas in Tacito animadverti, virtutes recensere vellem? Totum scriptorem transcriberem opporteret, si nullam transire animus esset. Quemadmodum enim id, quod ex Aetnae monte effluit, omnia secum trahit, arbores, segetes sternit, fluvios, quin etiam lacus et mare exsiccat, ut sibilae nubes coelum versus surgant, domos, villas, pagos, oppida tardo cursu evertit et colluvies illa, ex pumicibus nigris et ambustis et effractis lapidibus constans omnia implet, superficies autem istius congluviei hiulca, quum jam frigida et compacta sit, ex rimis autem ardor et igneus color elucet et splendet: ita Tacitus quemque lectorem secum abstrahit, duram quidem et magis abhorrentem faciem ostendit, in quavis vero linea rima quasi quaedam est, ex qua purus et integer amor quum omnes homines, tum innocentes atque oppressos amplectens, cerni potest. Tres tantum locos annotasse juvabit, ubi et artem Taciti et amorem ejus et gaudium facile perspicias; gaudet enim imprimis recordari prioris aevi, meminisse eum juvat praeteritorum temporum, quibus homines erant meliores, virtus magis colebatur. Germanicum quanta arte, quanto amore ubique et dicentem et agentem inducit! Quam tristis et praeclarus est locus Ann. I, 62. ubi exercitus duce Germanico trium legionum, ab Arminio ante sex annos caesarum, ossa humat! Secundus locus describit iter Germanici quum in Graeciam Asiamque minorem, tum in Aegyptum II, sq. Et jam antea quum triumpharet Romae de Germanis II, 41. „Augebat intuentium visus eximia ipsius species, currusque quinque liberis onustus, sed suberat occulta formido etc. . . . Postremo verba II, 71. in oratione morientis: „Flebunt Germanicum etiam ignoti," et III, 1—7. Cineres ejus Romam portantur; omnes ruunt ad oppi-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dum Brundusium (c. I.) „Atque ubi primum ex alto visa classis, complentur non modo portus et proxima maris, sed moenia ac tecta, quaque longissime prospectari poterat, moerentium turba et rogitantium inter se". . . Sed finio cum Heinsii verbis, qui ei obcultam quandam et mysticam fuisse ait haruspicinam, quae non animantium scrutaretur exta, sed regum (omniumque hominum) corda mentesque introspiceret, et illius scripta meram esse prudentiae medullam, ipsum vero corculum sapientiae fuisse.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dum Brundusium [illegible] isa classis, complentur non modo portus et p[illegible] aque longissime prospectari poterat, moerentiu[illegible] Sed finio cum Heinsii verbis, qui ei obcult[illegible] aruspicinam, quae non animantium scrutaret[illegible] um) corda mentesque introspiceret, et illius [illegible] llam, ipsum vero corculum sapientiae fuisse.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf